


AD JUVENES STUDIOSOS.

insignibus adeo beneficiis, licet immerito, nos cūmmulavit, p̄cep-
to innixi, labori ulli molestiæque nulli pepercimus, ut demandatum
nobis opus ad exoptatam usque metam protraheremus, quod nonnisi
varias post angustias superatas sumus assequi.

En ergo juventus tot, tantisque titulis nobis dilectissima, en ergo
opus a vobis tantopore exoptatum, neque tam meo, quam alieno mar-
te elaboratum, sed maxima ex parte a Julio Laurentio Selvagio Pres-
bytero Neapolitano depromptum et quamplurimis adnotationibus, pe-
culiare nostræ ecclesiæ disciplinam spectantibus a me dumtaxat le-
cupletatum. Nihil in eo invenietis quod vos aut ad vitiorum fugam,
aut ad ecclesiasticorum viitutum exercitium, et ministerii vobis com-
missi complementum non accendat, et promoveat. *Faxit Deus quod*
eius accurata lectio sit vobis et præsidium, et perpetuum decus!



PROLEGOMENA JURIS CANONICI.

OMNIS scientia nititur quiesdam sublimioribus principiis, ex quibus deflouunt, ve-
lint ex communi fonte, brachia ut ita dicamus, universalis divinarum et humana-
rum rerum vera et certa cognitio, nemo non videt, nisi legum prorsus ignarus, qui-
bus tamen discendi quam docendi methodus recta subjicitur. Quapropter in sa-
cerorum canonum scientiam jurisprudentiae tyrones inducere conantes, extra illius
propria limina paululum gradu sistemus, ut illis nota faciamus quasdam veritates
primævas, quas nullo juris perito obliviousi licet. Inter illas quædam tam dogma-
tice et moralis theologiae, quam ecclesiastico juri communia existimantur, quæ-
dam vero ad unam tantum predictarum facultatum specialiter pertinent. Uras-
que in his prolegomenis complecti desiderantes, sequentia breviter exponemus,
doctrinam puram ubique hauriendo, et methodum accuratiorem præferendo in aucto-
rum delectu, qui juris ecclesiastici materiam in usum juventutis pertractarunt.

- I. De natura, origine atque sociali constitutione sanctæ matris Ecclesiæ.
- II. De variis relationum et nexuum generibus inter statum ecclesiasti-
cum et civilem.
- III. De natura præcipuisque juris canonici divisionibus.
- IV. De fontibus juris canonici.
- V. De præcipuis colectionibus juris canonici.
- VI. De principiis generalibus et regulis communioribus juris canonici.

CAPUT PRIMUM.

DE NATURA, ORIGINE, ATQUE SOCIALI CONSTITUTIONE SANCTÆ
CATHOLICÆ ECCLESIE.

Ut tria hæc, quæm perfectius datum sit, elucidentur, principia seu fundamenta
cunctæ doctrinæ canonice, quadam velut methodica propositionum serie, sequenti-
bus articulis absolvemus ex opere D. Zallinger merito commendato, cui titulus:
Institutionum juris naturalis et ecclesiastici publici. Libri VI. (Lib. V, cap. 1.
et seq.)

ARTICULUS PRIMUS.

ECCLESIA CHRISTI DIVINÆ INSTITUTIONIS EST, INDEQUE AB ORIGINIB
SUA, UNA, SANCTA, CATHOLICA ET APOSTOLICA.

ARGUMENTUM.

§ I. Ecclesiæ notio. II. Origo et fundatio divina. III. Fundationis tabule
sunt Scriptura et traditio. IV. Ex fundatione necessariō est una. V. Sanc-
ta. VI. Catholica. VII. Apostolica.

§ I.

ECCLESIE NOTIO.

Quemadmodum *civitas* non ædificia urbium, locumve muris cinctum, sed homi-
num societatem denotat communī imperio subjectorum publicæ securitatis causa;
ita *Ecclesiæ* vox non templo Deo sacra, sed cœtum hominum exprimit unius pro-
fessione fidei et eorumdem sacramentorum communione colligatorum sub regimine
legitimorum pastorum, atque imprimis summi in terris Christi vicarii romani pon-
tificis (1). Non arbitriam esse notionem Ecclesiæ, infra ostendemus; nunc illud
observandum, cœtum hominum, quem vox Ecclesiæ significat, majorem aut mi-
norem sumi posse.

1. Paulus Christianos una domo habitantes domesticam Ecclesiam nuncupavit
(Rom. XVI, 5). Amplior cœtus denotatur, quando idem nomen tribuitur christia-
nis in una parochia, urbe (Ibid. v. 1) vel diœcesi habitantibus; uti cum dicitur
Ecclesia Corinthi; ubi sedes episcopi tamquam in majore et primaria urbe cons-
tituta erat (I Cor. I, 2); aut denique in toto regno degentibus, quo modo nomina-
mus Ecclesiam gallicanam.

2. Hoc loco Ecclesia pro universo orthodoxorum cœtu sumitur toto in orbe de-
gentium, ad quem refertur insignis articulis christianæ professionis: *Credo unam,
sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam* (2); qui quidem articulus vel ma-
xime ad dogmata veræ religionis pertinet.

3. Quia in hoc cœtu, ut demonstrabimus, sacra seu hierarchica potestas insti-
tuta est, eaque certis personis commissa; idcirco Ecclesiæ nomine ipsi hierarchæ
aliquando designantur, eo sane modo, quo civitatem vel cœtum civium imperantes
repræsentant. Hoc sensu præcipitur denuntiatio evangelica: *Si non audierit eos,
dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publica-
nus* (Matth. XVIII, 17). Eodem modo synodi œcumenicæ universalem Ecclesiam
repræsentare dicuntur.

(1) Ipsa potius templa materialia denotant cœtum fidelium, in quo Spiritus sanctus, et Ma-
iestas divina habitat tanquam tabernaculo ex vivis et electis lapidibus exstructo uti in anniver-
sario dedicationis templorum expendere solemus. Conf. II Cor. VI, 13.

(2) Sic habet symbolum concilii constantinopolitani I, quod in missa cantatur, itemque
symbolum concilii tridentini. Universum cœtum fidelium designavit Christus, cum diceret ad
Petrum: "Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam." Matth. XVI, 16.

§ II.

ORIGO ET FUNDATIO DIVINA ECCLESIE.

Origo Ecclesiæ vel societatis ecclesiastice non quidem in natura quærenda
est, nec pactis hominum, nec legibus principum politicorum; sed tota est divina,
et ex consiliis divinæ sapientie ac bonitatis pendet, quanta est. Nempe æternus
Dei Filius, unigenitus et consubstantialis Patri, promissus in lege veteri Messias,
cum in plenitudine temporis naturam assumpsit humanam, non modo cœlestes ho-
minibus veritates annuntiavit, et per apostolos suos annuntiari jussit, sed creden-
tes per gratiam suam in *unam* societatem conjunxit, et conjungi jussit, quam so-
cietatem nominavit Ecclesiam suam (Matth. XVI, 18), *pòpulum et hæreditatem
suam* (1), *regnum cœlorum* (Matth. XIII, 24, et passim) *ovile suum* (2). In quem
sensum referenda sunt splendidissima elogia, quibus in codice veteris Testamenti
præfigurabatur, et in novo designatur Ecclesia, uti cum dicitur *domus Dei vivi,
columna et firmamentum veritatis* (I Tim. III, 15), *civitas supra montem posita*
(Matth. V, 14), *civitas posita in quadro* (Apoc. XXI, 16), *corpus Christi*
(Coloss. I, 24), *cujus corporis ipse est caput* (Coloss. I, 18), *acies castrorum ordi-
nata* (Cantic. VI, 3), *sponsa Christi* (Cant. IV, 8, et Apoc. XXI, 2). Ex quibus
colliges sequentia corollaria:

1. Imprimis quis æquo animo ferat scriptores illos qui nihil vident in Ecclesia
Dei, quod non carpant, non irrideant, non parvi faciant, non in pravam partem
detorqueant, non pro abusu, superstitione, indicio crassæ ignorantiæ vel abjecti ani-
mi habeant? Nescio cœcitatem hominum animalium, qui non percipiunt ea quæ
sunt Spiritus Dei, magis deplorandam dicam, an perversitatem mentis castigan-
dam. Tanquam scarabaci fimo insidiantur, neglectis floribus, contemptui ipsis est
Ecclesia Christi, populus et hæritas et grex Christi, nec in sponsa Christi vident,
nisi rugas et maculas, nec in corpore Christi, nisi nævos, nec in domo Dei, nisi fu-
liginem et araneas. Sed hæc pluribus nunc verbis describenda non sunt, cum bo-
ni omnes jam diu ingemiscant.

2. Prima initia Ecclesiæ inde ab æternis divinæ sapientiae consiliis peti debent.
*Dominus dixit ad me, inquit caput Ecclesiæ Jesus Christus, Filius meus es tu,
ego hodie genui te; postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et posses-
sionem tuam terminos terræ* (Psal. II, 7, 8). Sic et Paulus ad fideles scripsit: *Ele-
git nos in ipso ante mundi constitutionem, prædestinavit nos in adoptionem filio-
rum* (Ephes. I, 4, 5).

3. Conditio orbe, et segregato postmodum a cœteris gentibus populo hebraico,
ut nempe divinorum promissorum conservaretur memoria et stirps pateret, ex qua
Messias nasciturus erat, velut prima Ecclesiæ rudimenta jacta sunt, quæ deinceps
ab ipso De Filio et Servatore ad perfectionem fuerunt adducta; unde ipse inquiet-
bat: *Non veni solvère legem, sed adimplere* (3).

(1) Ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Tit. II, 14. Ec-
clesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, Act. XX, 28. Dabo tibi gentes hæreditatem tuam,
et possessionem tuam terminos terræ. Psal. II, 8.

(2) Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem
meam audient, et fieri unum ovile, et unus pastor, Joan. X, 16.

(3) Matth. V, 17, addit parabolam de vinea; Matth. XX, 33. Testimonia patrum de hac re
theologi proferunt.

4. Adimplevit autem omnia morte et resurrectione sua, quando per apostolos jam ante a se electos, atque informatos, ac post mortem quoque eisdem apparenſ, et cum eis convescens, per quadraginta dies confirmatos, ac de regno Dei, id est, de Ecclesia instructos suo nomine promulgari Evangelium, ac societatem a se insitutam per universum orbem propagari jussit, ad promissa gratia sua, donis sancti Spiritus, miraculorum potestate, perpetua sua, invisibili ea quidem, praesentia atque assistentia; quae accuratius evolvenda sunt loco suo.

5. Institutio Ecclesiae ea est, ut non modo ad omnem terram, atque omnem etatem pertineat, sed in celum usque, atque ad ipsam divinitatem pertingat: nam Ecclesia beatorum triumphans, et quae militans in hac terra dicitur, non tam duæ ecclesiæ censemadæ sunt, quam ejusdem ecclesiæ partes duæ, quarum una antecedens sit, et cœlesti patria jam potitur; altera vero in dies sequitur. Accessistis, inquit Paulus ad fideles, ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem caelestem et multorum milium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in celis, et judicem omnium Deum, et spiritus justorum perfectorum, et Testamenti novi mediatorem Jesum. (Hebr. XII, 22.)

§ III.

FUNDATIONIS TABULE SUNT SCRIPTURA ET TRADITIO.

Origo, uti dictum, universæ societatis sacre seu Ecclesiæ ex divina institutione ac fundatione petenda est; si quis instrumenta authentica et tabulas istius fundationis sibi exhiberi petat, traditionem et Scripturam nominamus et interpretationem utriusque, nempe et traditionis et Scripturæ, eamque authenticam ab Ecclesia duntaxat haberi contendimus. Id vero cum in theologicis disciplinis invictè demonstretur, et quidem ex omnibus theologiae locis ac fontibus demonstratur, non fusè tractandum in jure sacro, sed indicandum est; ac prius etiam ad traditionem quam Scripturam hic provocavi: nam, ut Melchior Canus animadvertisit, *constat doctrinæ fidei jam vulgate scriptiōnem Evangeliorum accessisse, non præcessisse.* Constat item christianam Ecclesiam et religionem non litteris pri-
num, sed traditione substitisse. Constat rursus fidei doctrinam in Ecclesia pri-
mitiva non a Scripturis habuisse auctoritatem, sed contra, Scripturas a traditio-
ne: sicut tradiderunt, ait Lucas, qui ab initio viderunt, et ministri fuerunt ser-
monis. Constat denique, aliquando in Ecclesia Christi fuisse catholicæ dogma-
ta, quæ sacris nullis litteris continerentur (1). Imò vero, si traditionem ejusque authenticam interpretationem rejiciat quisquam, is nec de existentia Scripturarum, multòque minus de canone earumdem legitima versione et genuino sensu eam, quam res poscit, firmam certamque cognitionem usquam comparabit.

§ IV.

UNITAS ECCLESIE.

Theologia dogmatica nuncupata explicat characteres seu notas Ecclesiæ, ut ea a falsis sectis discernamus. Jurisprudentia ecclesiastica easdem considerat tanquam proprietates, quæ rationes fundamentales imperii et regiminis sacri continent; quia et potestas hujus societatis et potestatis usus non modo generali fini, sed internæ naturæ illius accommodatus esse debet. Istarum proprietatum prima

(1) De locis Theol. l. III, c. 3. Conf. concil. trid. sess. IV. Decret. de canoniceis Scripturis.

est *unitas Ecclesiæ*, quam præserunt omnes ideæ ac representationes supra exhibitæ; nam ædificium, populus, hæreditas, ovile, regnum, civitas, corpus, acies, sponsa, manifestam unitatem in se habent. Hæc unitas sita est in professione unius fidei, communione eorumdem bonorum spiritualium, subjectione erga unum idemque imperium sacrum.

1. Unitas fidei poscit: 1. ut quis firmissimo assensu teneat, atque expressè profiteatur ea dogmata que ad obtinendam salutem explicitè credenda sunt; 2. ut in nullo dogmate ab Ecclesia proposito dissentiat; 3. ut paratus sit tenere ac profiteri quidquid tenendum proposuerit Ecclesia. Quis unquam asseruit omnes veritates ac singulas tum dogmaticas, tum historicas in traditione ac Scriptura contentas a quovis sub periculo salutis discendas et explicitè credendas esse? At quis in dubium vocare potest, nefas esse, vel uni veritati dogmaticæ, vel historicæ in traditione, vel Scriptura contentæ refragari, eamdem in dubitationem adducere, impugnare, parvi facere? Dein vero, quis non videt de genuino sensu doctrinæ in traditione vel Scriptura contentæ ambigi sèpè posse, quando nihil ab Ecclesia definitum est, aut ex veritatibus certis et exploratis alias posse deduci, quarum deductio rectane sit ac legitima, an secus, merito disputes? Ipsa dogmatum certorum connexio sèpè obscuritatem habet, nec difficultate vacat, eadem inter se propositis thesibus conciliare velle: exemplo sunt doctrina de gratia Dei, et hominis libertate, de bonitate divina et justitia. Cum igitur in rebus obscuris homines suo ingenio studiisque relieti citè abeant in diversas sententias, manifestum est, unitatem fidei ac professionis christianæ omnino concipi nullam posse, nisi in tribus illis capitibus omnes ac singuli consentiant, et ita consentiant, ut citius e vita, quam vel ab unico eorum articulorum discedere parati sint. Nam in negotio fidei nulla transactio habet locum, nulla indulgentia; depositum divinæ doctrinæ non minui, non immutari ulla ratione potest, neque admittenda est distinctio inter fundamentales articulos et non fundamentales, excogitata a novatoribus et toti antiquitati incognita. Quisquis unquam pertinaciter vel uni dogmati ab Ecclesia proposito refragari ausus est, anathematis muercone perfossus ex sinu Ecclesiæ ejiciebatur. Maximè enim ad causam fidei referendum est effatum divini magistri: *Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, dispergit* (1). Hæc universæ Ecclesiæ perpetua et immutabilia sensa imperatores catholici suis etiam legibus publicoque legum codici inseruerunt: *Hæreticorum vocabulo continentur, et latissimis adversus eos sanctionibus succumbere debent, qui vel levi arguento a judicio catholicæ religionis et tramite detecti fuerint, deviare* (2).

2. Ex necessitate ac studio conservanda unitatis fidei intelligitur ratio, cur Ecclesia a novis prælatis ac ministris, doctoribus item, aliisque solemnam fidei professionem exigat; cogit temporum calamitas, inquit sacrosancta synodus tridentina, et invalescentium hæresum malitia, ut nihil sit prætermittendum, quod ad populorum edificationem, et catholicæ fidei præsidium videatur posse pertinere (Sess. XXV, c. 2, de reform.)

3. In recipiendis clericis et episcopis, qui ab hæresi vel schismate revertebantur, diversa hactenus disciplina exsistit, ut nunc pristino in honore manerent, nunc ad communionem laicorum detruderentur. At id constanter observatum est, ut nemo recuperetur, nisi ejurato errore vel schismate. *Cum ad nos veniunt ex partibus*

(1) L. omnes. 2, c. de hæret. add. l. 12, ibid. et Nov. 109, princ.

(2) S. August. epist. 223, adde epist. III Innocent. p. I, n. 4. Constant. in epist. Rom. PP. p. 763.

te Donati, inquit S. Augustinus, mala illorum non suscipimus, id est, dissensio nem et errorem, sed ipsa tolluntur de medio tanquam impedimenta concordiae, et amplectimur fratres, stantes cum eis, sicut dicit Apostolus in unitate spiritus et in vinculo pacis. Quis autem verè dicit se habere Christi charitatem, qui ejus non amplectitur unitatem?

4. Alterum est unitatis vinculum, communio bonorum spiritualium Ecclesie: unitas enim spiritus, a quo ea regitur, efficit ut quidquid in eam collatum est, id omnium commune sit. In primis vero sacramentis, ceu totidem sacris vinculis copulantur inter se membra, et cum capite suo connectuntur, maximèque omnium baptismo, quo tanquam janua Ecclesiam ingrediuntur, dein sacrosancta eucharistia, qua penitus in unum corpus coarctantur. Si qui hæretici vel schismatici extra Ecclesiam vera usurpat sacramenta, ceu baptismum et ordinationem, ea ad Ecclesiam pertinere dubium non est, quæ, ut Augustinus ait, filios parit etiam per uterum ancillarum. *Privatam hominum impietatem detestamus in schismate*, inquit idem, *baptismum verò Christi ubique veneramur, quia si desertores secum imperatores signa traducant, illis vel damnatione punitis, vel indulgentia correctis, signa recipiuntur, si salva manserunt* (S. Augustin., Ep. 164, prope fin.) Nihil ergo de unitate Ecclesie detrahitor, nihil veritatis falsis sectis additur, quod usurpent sacramenta veritatis: *Non enim debent gloriari sarmenta, quia non sunt spinarum ligna, sed vitiis. Si enim non in radice vixerint, cum tota specie sui in ignem mittentur* (Idem, Epist. 223).

5. Tertium est unitatis vinculum, commune imperium spirituale summi in terris Christi vicarii, cui omnes omnium locorum fideles eorumque rectores ac pastores subordinati, nemine excepto, subjiciuntur. Nam et spectata institutione divina, et perpetuo Ecclesie usu, et ipsa unitatis in tam vasto corpore conservandæ ratione necesse est, ut interna unitas externo ac visibili vinculo constringatur, quemadmodum paulopost ostendemus. Enimverò si societas plures familiares, si plures civiles iisdem utantur legibus et institutis, non ob id in unam familiam, unam civitatem, unum corpus, unum ovile, coalescere intelliguntur, nisi et communibus utantur juribus ac bonis publicis et communi imperio domestico aut civili constringantur.

§ V.

SANCTITAS ECCLESIE.

Ex fine institutionis suæ et mediis ad eum finem comparatis sapienter Ecclesia sancta est: nam et Jesus, *ut sanctificaret per suum sanguinem populum,— passus est* (Hebr. XIII, 12); et discessurus e mundo spiritum sanctitatis ac veritatis discipulis suis appromisit: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobis in eternum spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere* (Joan. XIV, 16, 17). *Hæc locutus sum vobis apud vos manens; paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggesteret vobis omnia, quecumque dixerit vobis* (Ib. v. 25, 26). Sanctitatis istius splendor luculentissime effulget, 1. in doctrina fidei et morum, 2. in vita ac morte eminentiorum Ecclesie membrorum, 3. in gloria miraculorum; atque de his annotabimus quæ accommodata videbuntur praesenti instituto.

1. Sanctitas doctrinæ pertinet ad dogmata fidei, ad mores, consilia evangelica, disciplinam Ecclesie. Inde ratio pendet tot constitutionum Ecclesie, quibus the-

ses naturali honestati morum repugnantes damnat ac confingit tot canonum de sanctis sancte tractandis, de vita et honestate clericorum, de celibatu, de primævo spiritu conservando in religiosis ordinibus; itidem provenire differentiae nonnullæ juris sacri, et profani: nam *omni constitutioni et consuetudini derogandum est, quæ absque peccato mortali non potest observari* (C. fin de præscript.) Imò Ecclesia, cum regi se a Spiritu sancto etiam in constituenda disciplina, quantumvis variabili, non ignorat, incusso anathemate damnat eos, qui ritus, consuetudines, ceremonias, quæque istiusmodi sunt, ad disciplinam pertinentia tanquam mala, inepita, juri divino repugnantia impugnare, et pro libito rejicere audent (1).

2. Sanctitatem Ecclesie testatam faciunt, et maximopere commendant virtutes præclaræ apostolorum, totque martyrum, confessorum, anachoretarum, virginum, aliorumque innumerabilium evangelicæ perfectionis studiosissimorum; hinc præcipuo semper loco universa Ecclesia habuit religiosos utriusque sexus, quorum virtutes ac merita summo eidem ornamento et adjumento exstitere. Quanta, *Deum immortalem!* et cœcitate, et superbìa laborent, necesse est ii qui opiniones suas sensui constanti totius retrò sacræ antiquitatis anteferre non verentur!

(1) Duo hic annotanda sunt, unum de doctrina fidei, alterum de disciplina. Theologi nostri, quando notam sanctitatis recentioribus sectis, quæ ab Ecclesia romanocatholica defecerunt, convenire negant, ostendere solent doctrinas a recentioribus sectis propugnatas dudum ab Ecclesia catholica rejectas, et in antiquis sectariis damnatas fuisse. Hinc veterum hæreticorum et heresum memorias inquirunt, atque in lucem proferunt. Id agrè fert Leyserus Ictus protestanticus, qui ad Pandectas, vol. 8, speciatim, 566, in coroll. ita commentatur: "Credunt multi nullam hodie nasci hæresim, cujus vestigium non jam in primorum christianorum annalibus reperiatur; ego vero aliquot errores novos recordor, qui veteribus hæreticis nunquam in mentem venerunt. Catalogum hæreticorum, quem jus canonicum, c. 39, XXIV, q. 3, necrit, cordatus nemo probabit. Multi in eo recensentur testes veritatis, aut saltem in innoxiiis capitibus a communi opinione recedentes. Non minus ridiculum est supplementum ejus catalogi a Carolo Meichelboeck, tom. II. Historiæ Frisingensis insertum, nomina hæreticorum, qui a Lutherò originem trahant, complexum;" ita Leyserus. Atenim eti nova errorum absurditates excogitari a recentioribus possint, de quibus nihil in mentem venit antiquis sectariis, satis est ad eorum anticipatam damnationem, si in cumulo suorum articulorum vel unum defendant, quem Ecclesia diu ante rejecit. Fallacia commentationis leyserianæ in eo est quod a questione facti transeat tacitè ad questionem juris. Quæstio facti est, an doctrinæ articulus idem, quem recentiores sectarii propugnant, ab aliquo veterum sectariorun et propugnatus fuerit, et ab Ecclesia catholica jam olim damnatus. Atverò quæstio juris est, an iidem, qui in citato canonе ex Isidoro Hispanensi recensentur, hæretici revera fuerint, an potius testes veritatis, vel in capitibus innoxiiis a communi opinione recedentes, uti Leyserus ait. Homini catholico ad repudiandam quamdam opinionem satis est, si norit eam ab Ecclesia catholica repudiatae et damnatae fuisse. Ita enim quisvis nostrum ex mente S. concilii tridentini in formula fidei profitetur: "Contra omnia, atque hæreses quaecunque ab Ecclesia damnatas, rejectas et anathematizatas, ego pariter domino, rejicio et anathematizo." Nunc etiam de disciplina Ecclesie, ejusque sanctitatis agnoscenda exempla afferenda sunt. Fuere tempore concilii constantiensis, qui consuetudinem eucharistie sub una specie panis, et a jejunii sumendum tanquam sacrilegam damnarent; de quibus concilium, sess. XIII, ita definit: "Cum hujusmodi consuetudo ab Ecclesia et SS. patribus rationabiliter introducta, et diutissime observata sit, ea habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesie auctoritate pro libito mutare. Quapropter dicere, quod hanc consuetudinem aut legem observare, sit sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum, et pertinaciter asserentes oppositum præmissorum, tanquam hæretici arcendi sunt, et graviter puniendi per diocesanos juxta canonicas et legitimas sanctiones in favorem catholicæ fidei contra hæreticos et eorum fautores salubriter adiventas." Similia exempla exstant in S. concilio tridentino, sess. XXII, can. 9, sess. XXIV, can. 11, sess. VII, can. 13, de sacramentis in genere. In his saepenumero locum habet celebre effatum S. Augustini: "Insolentissime insanæ est disputare an faciendum sit quod universa frequentat Ecclesia."

3. Quando de gloria miraculorum sermo incidit, obmutescere coguntur sectæ omnes, nec, quo se vertant, habent. Illud animadversione dignum, ex institutis religiosorum ac monialium maximum prodiisse hominum sanctorum numerum, quorum cœlestem vitam, sanctissimamque mortem apertissimis prodigiis Deus illustravit, et illustrare non cessat. Dein plurima ex omni memoria proferri miracula possunt in confirmationem eorum ipsorum dogmatum, quibus novatores maxime adversantur. Atque hæc et sanctitatis et miraculorum lux, cum non possit non incurrere in oculos, eo majoris momenti est quod docti æque ac rudes ita apud se jure statuant: illi præ cæteris fidei religioni, Ecclesiæ adhærendum esse, quæ tot homines sanctos, Deo charos, prodigiis celebres peperit, educavit, ad perfectionem adduxit. Constat ex indebitatis monumentis, eamdem ipsos quam Ecclesia romano-catholica profitetur, fidem tenuisse, eadem fidei capita, quæ a novatoribus repudiantur, probasse, secutos esse, moribus, doctrina, sæpe etiam sanguine confirmusse; iidem perpetuò, firmissimèque adhæsere apostolicæ sedi, et sanctæ romane Ecclesiæ, aliarum ecclesiarum matri ac magistræ; iidem religiosa instituta, jejunia, carnis macerationem maximi fecere; iidem denique venerationi reliquiarum, cultui imaginum, pietatique erga cœlestes, qui praecesserant, atque imprimis erga sanctissimam atque immaculatam Dei Matrem addictissimi fuere. Hæc expendens, cum homines novos novam promittentes doctrinæ lucem conspiciet, dicet cum Guerriero abbate: *Optimum est nostræque infirmitati congruum illuminationis initium, si intendamus in eos, qui illuminati sunt, — si precedentium patrum sequamur lumen prærium* (Sermon. II de Epiphan., prope finem).

§ VI.

CATHOLICITAS ECCLESIAE.

Ecclesia verè *catholica* est, et nominatur inde ab antiquissimis temporibus, quia per totum orbem terrarum diffunditur. Ea diffusio et *successiva* est, quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et prædicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes *incipientibus* ab Ierosolyma (Luc. XXIV, 46, 47); et *permanens*, quia Ecclesia ingentem multitudinem orthodoxorum, longèque majorem ac aliæ sectæ christianorum complectitur. Hac tam perspicua nota jam inde a prophetis, atque in psalmis Ecclesiam designatam, ac veluti intento dígito demonstratam fuisse innumeris Scripturæ locis constat. Memorabile imprimis est vaticinium Malachie: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum; et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda* (1). Ex his inferes:

1. Cum Deus ipse et catholicam esse Ecclesiam voluerit, et simul frequentes ab Ecclesia defectiones, schismata ac hæreses prædixerit, hanc *universalitatem* secundum Dei consilia non mathematicè, sed moraliter sumendam esse.

2. Multò minus eadem *universalitas* ex fide et numero summorum imperan-

(1) Malach. I, 10, 11. Ubi Calmetus in commentario litterali in hunc modum annotat: "Hebræa vox, quæ hic redditur, oblatio munda, propriè significat tritici, simile; panis et vini oblationes, quæ in sacro altari siebant; veluti luculentius etiam panem vinumque designet, quæ materies consecrationis corporis et sanguinis Jesu Christi sunt."

tum pendet, cum ante conversionem imperatorum ad fidem catholicam Ecclesia catholica et fuerit, et habita sit a christianis etiam iis qui defecerant ab eadem.

3. Ex eadem ratione nec catholicæ, adeoque nec Christi Ecclesia censerit potest factio hominum Ecclesiæ rebellium, uno terræ tractu vel angulo foventium discessionem suam et contumaciam, qua contra catholicam sese extollunt Ecclesiæ. Ipsi tamen id schismatici et heretici, etsi maximè inviti, testimonium dant catholicæ Ecclesiæ, neque enim avelli a corpore Christi potuissent, neque ex sinu Ecclesiæ ejus, si nulla ibidem extitisset Ecclesia. Rami aridi indicio sunt arboris, ex qua descissi sunt. Nec solum re, sed verbis quoque patrocinari coguntur veritati: nam, ut S. Augustinus ait, *nomen catholicæ inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut, cum omnes hæretici se catholicos dici velint; quarrenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere* (L. contra epist. Fundamenti, c. 4).

§ VII.

ECCLESIA EST APOSTOLICA.

Apostolica etiam vocatur Ecclesia tum a doctrina, tum a potestate ordinis ac jurisdictionis, inde ab apostolis derivata ac serie non interrupta, perpetuò propagata; secùs enim non intelligitur, quomodo fideles superædificati sint super fundamentum apostolorum (Ephes. II, 20), et tota Ecclesiæ adædicta super petram vel Petrum (Matth. XVI, 18). Nempe apostoli ecclesias apud unamquamque civitatem considerunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinæ cætera exinde Ecclesiæ mutuatae sunt, et quotidie mutuantur, ut ecclesie fiant; ac per hoc et ipsæ apostolicæ deputantur, ut soboles apostolicarum ecclesiarum (Tertull. de præscrip., c. 20). Duplex ergo est apostolicæ originis ratio: altera ad doctrinam, altera ad potestatem pertinet.

1. De apostolica origine doctrinæ necesse est fidem seu dogmata, quæque ad necessariam morum honestatem aut jus divinum positivum pertinent, distingui a disciplina variabili, quæ pro temporum ratione alia esse potest, ac apostolorum ætate fuerat. Ad fidem pertinent ea Pauli verba: *Sunt aliqui, qui vos conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi. Sed licet nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit* (Gal. I, 7, 8). Ad morum honestatem et jus divinum referri debent ea quæ ad Corinthios idem prescripsit: *Neque fornicarii, neque idotis servientes, neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt* (I. Cor. VI, 9, 10). Iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere (Ibid. VII, 10). His nihil addi, nihil demi potest: una declaratio, quam authenticam Ecclesia facit ex promissa assistentia Spiritus sancti, locum in illis habet, uti Paulus, qui Timotheum circumcidit, id non malum tum quidem censuit, sed ad salutem esse necessarium ita pernegavit, ut diceret: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit* (Gal. V, 2, et Act. XV, 28). At disciplinam respxit Apostolus, cum scriberet: *Cætera autem cum venero, disponam* (I Cor. XI, 34). Aut cum apostoli præcipierent fidelibus: *Ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato* (Act. XV, 29).

2. De apostolica origine potestatis sacré, imprimis quidem potestas *ordinis* eadem in episcopis est ac apostolis fuerat, nec eamdem quisquam aut tenet, aut alte-

ri conferre potest, qui non a quodam apostolo propagatione ac serie nusquam interrupta acceperit. De potestate jurisdictionis, quatenus episcopi apostolorum successores sint, infra dicemus; nunc illud statuendum, ei qui officio sacro in Ecclesia defungi legitimè velit, necessariam esse missionem, istamque aut ordinariam esse, quæ a legitimis fit Ecclesiæ prælatis, aut extraordinariam, quam a Deo provenire non indubitatis signis et prodigiis comprobari debet. Qui neutram exhibet, pro ministro Ecclesiæ, vel Dei haberi nequit. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur* (Rom. X, 15)? *nec quisquam sumit sibi honorem; sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron* (Hebr. V, 14). Atque id quidem magnopere docendi sunt fides, et a quovis nostrum hac præsertim ætate solerter expendendum est, *ut non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris* (Ephes. IV, 14). Ad hunc eundem finem eæ, quas adhuc recensuimus, notæ, quibus Christi sponsa a meretricibus distinguitur summa diligentia considerandæ, atque animo insigendæ sunt, ut cum Augustino de veritate perspicue quisque convictus dicere queat: "In ecclesia catholica, ut omittam sincerissimam sapientiam, ad cuius cognitionem pauci spirituales in hac vita perveniant.—Cæteram quippe turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit. Ut ergo hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia esse catholica non creditis, multa sunt alia que in ejus gremio me justissime tenent. Tenet consensio populorum atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem, Dominus commendavit, usque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum; tenet postremo ipsum catholicæ nomen (S. August. contra epist. Fundamenti, c. 4)."'

ARTICULUS II.

SECUNDUM CONSILIA DIVINÆ SAPIENTIÆ ET PROMISSIONES CHRISTI ECCLESIA
USQUE AD FINEM MUNDI PERMANEBIT UNA, SANCTA, CATHOLICA
ET APOSTOLICA, ETSI GRAVISSIMIS NULLO NON TEMPORE
AFFLICTA SIT ET AFFLIGATUR VEXATIONIBUS.

ARGUMENTUM.

§ I. *Ecclesia semper impugnatur, nunquam expugnatur.* II. *Consecratio hujus
veritatis.* III. *Indefectibilis ergo est passive et active.*

δ I.

ECCLESIA SEMPER IMPUGNATUR, NUNQUAM EXPUGNATUR.

Duas maximi momenti veritates de Ecclesia a se instituta prænuntiavit divinus Servator, eamdem nimis ab hostibus identidem oppugnatum iri, instigante diabolo; at nunquam expugnandam esse, sed permansuram perpetuo suam ac in sua tutela. Id innumeris locis sacri codicis testatum sit, maximè perspicuum illud est, quo Ecclesiam suam supra petram a se sic ædificandam promisit, ut portæ inferi nunquam prævaliture sint, quasi ad insultus inferorum sustinendos ac frangendos unice constituta atque ædificata esset: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (Math. XVI, 18).

Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (1). Ipsi so apostolorum ævo, etsi conspicuis abundaret donis divini Spiritus et certissimis prodigiis, tamen et sedissima flagia, dissensiones, schismata, hæreses erupisse constat quæ ab iisdem verbo ac scripto, magnoque labore corrigi et coerceri debebant; sed idem ita futurum esse fideles monuerunt: Oportet et hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis (2). Interest hanc Ecclesiæ sortem nosse, ac probe expendere, ne quis præsentibus, quas videt, calamitatibus territus, animum desponteat, aut commoveri se patiatur.

- 1: Mysteriorum religionis sublimitas, et obscuritas Scripturæ, humani ingenii levitas fastusque, naturæ corruptio, qua homines cupiditates suas cohiberi agravarent, non potuit non occasionem præbere dissensionibus, erroribus, defectionibus a vera Ecclesia. *Adulterantes verbum Dei*, memorat Paulus (II Cor. II, 17); de cuius epistolis Petrus ait, eum loqui de *his in quibus sunt quædam difficultia intellectu quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem* (II Petr. III, 16).
 2. Miletii agens Paulus, cum ex districtu ephesino episcopos ad se convocasset exhortandi causa: *Ex vobis ipsis*, inquietabat, *exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se* (Act. XX, 30). Constat ex Apocalypses c. III et IV quem in modum angeli ecclesiarum Asie admoniti et objurgati sint. Ac si romanam ecclesiam excipias, ad quam, teste Cypriano, perfidia non habet accessum, exploratum est, reliquas ecclesias ab apostolis fundatas, omnes, aut prope omnes a vera fide defecisse.
 3. Christus inferorum portas nominat, quæ contra Ecclesiam pugnaturæ, at nunquam prævalituræ essent; eo nomine homines impii, contumaces, heretici, hypocritæ veniunt, *pseudoapostoli*, ut Paulus inquit, *operarii, subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi: et non mirum, ipse enim Satanas transfiguratus se in angelum lucis* (3). Ad immissiones per angelos malos Innocentius papa III refert ea quæ a nonnullis Ecclesiæ hostibus eum in finem dicuntur et scribuntur, ut protestatem principum politicorum contra rectores Ecclesiæ incitent, commoveant que (4).
 4. Multi contra Ecclesiam insurgunt nimio libertatis amore, quam intra limites contineri evangelica severitate molestè feront: alii cupiditate lucri conduci se sinunt, ut sanæ doctrinæ vim inferant. Alii conscientię suæ morsibus, depravatis principiis, ipsaque excussa fide mederi volunt: alii famam auecupantur novitate opinionum, contemptu proborum doctorum, nova philosophia, seu philosophici juris luce, ut aiunt, hominibus obtrusa. Neque verò istiusmodi homines a veritate

(1) Matth. XXVIII, v. ult. Adde I Tit. III, 15. II Tim. II, 19. Joan. XIV, 16.

(2) I. Cor. XI, 19. Id divinus ipse Servator prædixerat. Væ mundo a scandalis: necesse est enim ut veniant scandala. Matth. XVIII, 7. Si grave est, quodvis in peccatum alios impellere, quanto gravius abducere a religione et Ecclesia, ipsumque salutis fundamentum subvertere?

(3) II Cor. XI, 13, add. Math. VII, 15, et bullam Clementis, P. XI, editam, a. 1713, 8 sept.

(4) C. novit ille 13, in parte decis. de Judicilis. Contra istiusmodi adversariorum molimina dudum conquestus est S. Ambrosius de Basilicis non tradendis: "Semperne de Caesare servulis Dei invidia commovetur, et hoc ad calamitatem sibi arcessit impietas, quod imperiale nomen obtendat?" Idem S. pater compendium juris ecclesiastici publici, quale hodie a quibusdam proptertudinibus, tamquam res nova ac digna saeculi nostri luce, indicavit paucis verbis, haud tamen approbat: "Allegatur, imperatori licere omnia, ipsius esse universa" C. convenior. 21, § 4, c. XXIII, q. VIII.